

QV. 521. 19.

(X1903994)

B. M.

II n  
7012

DISSERTATIUNCULA

DE

CÆCIS SAPIENTIA  
AC ERUDITIONE CLARIS,  
MIRISQVE CÆCORUM QVO-  
RUNDAM ACTIONIBUS:

AUCTORE

M. GEORG. TRINKHUSIO,  
Ohrdruf. Thur. Gymn. Rutheno-Ge-  
rani Con-R.



G E R Æ,

LITTERIS GEORGI HEINRICI MÜLLERI,

Sumptibus Christoph Enoch Buchta/

M DC LXXII.

E. II. 757





Fragment of text from the adjacent page, including decorative flourishes and the words "m", "ca", "fi", "fa", "ti", "T", "ti", "e", "fi", "fi", "D", "c", "i", "n", "l", "t", "s".





**D**E Cæcis, qui sapi-  
entia ac eruditionis splendo-  
re, artiumque elegantiâ, &  
celebri nominis floruerunt  
famâ, aliquid daturus, altiùs  
paulò, imò quoad longissimè  
abhinc recolare animus po-  
test, memorias repetam o-  
mnesque, qui oculis quidem, & nostro qualiquali le-  
ctionis studio se obtulerunt, in chartaceam hancce, ut  
sic loquar, scenam producam. Ac omnium primò  
fontem illum ingeniorum, omnisque doctrinæ & an-  
tiquitatis parentem, Homerum sisterem, nisi forsan  
Tiresiæ quoque, antiquissimis fabularum monumen-  
tis clari, mentio in ipso limine injicienda esset. Hic  
enim, à quo omnes, luminibus oculorum orbat, *Tire-  
siæ* vocantur, orto etiam *ἰσχυροδικῶν* proverbio *Tire-  
siâ cecior*, cum fortè Minervam, non aliter ac Actæon  
Dianam, in Hippocrenes fonte lavantem conspexisset,  
castissima dearum, quòd tanta & tam divina, quæ et-  
iam, quippe occultata, mortalibus sacra habentur, ho-  
mo nihili oculis usurpâset, subitâ indignatione ac do-  
lore correpta, miserum spectatorem, gaudii hujus,  
tam brevis & momentanei, instrumentis privavit.  
Sed Chariclo mater, pro filio deprecatura, improvi-

sum & non cogitatum scelus ad Deam excusans, pro  
 luminibus corporis oculos mentis, ac splendorem  
 ingenii, artemque divinandi filio impetravit: ut ex-  
 optanda Tiresiæ hæc calamitas fuerit; quum plus post-  
 modum viderit cæcus, quam antè oculis instructus, a-  
 pud inferos, reliquis umbris volitantibus, solus sapere  
 existimatus. Nec minùs Oedipus, cujus sapientia in  
 proverbium abiit, hic sistendus videtur: quem cæcita-  
 te affectum inducunt Sophocles *Oedipo Tyranno*, & Eu-  
 ripides in *Phœnissis*, Latinâque indutum veste in *The-  
 baide* ac *Oedipo* suâ exhibet Seneca Tragædus. Hoc  
*Oedipode nascente horoscopum & Lunam in Can-  
 cri* *ve Φέλιον incidisse*, indeque lumine multatum  
 esse, veteres tradiderunt \* Astrologi. Sed cum  
 fabulosa ferè sint, quæ à Poëtis proficiscun-  
 tur, & hinc historiam, non apologum scribere ani-  
 mus sit, à fabulâ, quod etiam Politici solent,  
 ad veriora progrediar: inprimis quòd *ἀσίστατα &  
 ἀντιδιεργημένα* (aliam enim æquè ridiculam hujus in Ti-  
 resiâ cæcitatatis causam recenset (a) Naso) tradant  
 Theologi gentiles, & aliunde hæc, quàm ab arte & in-  
 duftriâ, si vera quidem sunt, fuerint profecta. Ne i-  
 gitur ineptiis, quarum stultus labor est, studuisse vi-  
 dear, ab Homero, cujus memoria ac doctrina, & scho-  
 lis nostris sacra, & litteratis, ejus copiâ destitutis, cola-  
 pho redimenda est, exorsus, historiam ad nostra usque  
 tempora contexam. Hunc usu oculorum caruisse,  
 tradit maximus historicorum (b) Herodotus, & post  
 eum non minor, etsi junior, Plutarchus Chæronensis,  
 (c) uterque in ejus *vitâ*. Et (d) Tullius, oculorum  
 licet sensu destitutos, beatos esse posse, ostensurus,  
 post

\*v. Jof. Scal.  
 ad Maniliũ  
 ed. Argent.  
 p. 307.

a) Ovid. 3.  
*Metam fab.*  
 7. p. 90.

b) Herodot.  
 post init. p.  
 m. 544.

c) Plutarch.  
 init. l. de Ho-  
 mero.

d) l. 5. Tusc.  
*Quest. sub.*  
 fin.

post multa summorum virorum exempla, ( exemplis enim eximiè gaudet ) Homerum quoque cæcum fuisse tradit: ut Christodori Thebani & Tzezis, recentiorum quippe, testimonio supersedeam. Unum adhuc è Græcis exquisitæ doctrinæ hominem, Pausaniam addo; qui hoc mali ex morbo sibi contraxisse, auctor est in Messenicis: ( e ) qui & Thamyridem cæcum factum, ex fide Hømeri tradit, quòd Musas ipsas se carmine superaturum jactasset, licet diversum hâc superare sentiat Prodicus Phocaënsis. Hic enim ( f ) ( *modo hujus sint in Minyadem conscripta carmina* ) apud inferos has suæ in Musas proterviæ ac insolentiæ poenas luit, eodem Pausania teste. Consimili modò in Homero ludunt Hesychius Illustris, ( g ) qui Homero, ( nihil præterea habens, quod de summo viro traderet ) quùm nullis cupiditatibus victus fuerit, arcesitam, ut Fabius loquitur, cæcitatem affingit: quod & cucullatus ille Grammaticus, sine curâ sæpius & factâ fide assensum præbere solitus, Suidas ( h ) accredidit, indeque, quasi *ὁ μὴ ὁ γὰρ* dictus sit, existimat, aliis, ut cuivis in Etymologiis nugari proclive est, aliter derivantibus. Post Homerum Democritus, vir, ut ait Agellius, ( i ) *ante alios virtutis & philosophiæ gratiâ venerandus*, laudandus esset, nisi se ipse oculorum luminibus ultrò privasset: quod ex Græcorum monumentis refert idem ( k ) Noctium Atticarum auctor, & innuit, si quid video, M. ( l ) Cicero: qui plures è sapientibus Græciæ cæcos commemorat, Antipatrum Cyreniacum, Diodorum Stoicum, Asclepiadem, Eretriacum philosophum; quibus è Latio cordatos viros accenset, Cl. Appium, C. Drusum, & Cn. Aufidium. De

e) l. 4. p. m.  
259. ed. Sylburg.

f) apud Pausan. l. c.

g) l. de vitis Philosoph. p. m. 25.

h) Tom. II. p. m. 300. edit. Port.

i) l. 5. Noct. Att. cap. 3. p. 132.

k) l. 10. c. 17. p. 243.

l) loc. cit.

A

Ap-

Appio hocce, ne quis solos Græcos litteris vacasse opi-  
 netur, T. Livius (m) hoc præclarum Romanorum en-  
 comium refert, fuisse *eloquentiâ civilibusque artibus*  
*baud dubiè præstantem*: quem etiam *callidum solertem-*  
*que Jurisconsultum, urbi ac foro utilem* appellat. Ma-  
 gnum hunc & potentem in republica Romanâ virum  
 passim deprædicat Cicero, eumque solertem patrem,  
 familiâs, (quæ non minor gloria erat quondam, quàm  
 insignem præfectum belli, aut Politicum hodiè voca-  
 ri,) mirâ dexteritate amplissimam rem familiarem re-  
 xisse, auctor est Val. Maximus. (n) Et quo modo sena-  
 tum R. fœdam pacem cum Pyrrhò initurum, gravi ora-  
 tione, quæ extabat quondam, à sententiâ retraxerit,  
 præter hunc commemorat (o) Tullius, & (p) Plutar-  
 chus.

*Multum animo vidit, lumine captus erat,*

scitè ait de Appio hoc (q) Ovidius; nec minùs elegan-  
 ter (r) Valerius: *Hunc cæcum aliquis nominet, à quo*  
*patria, quod honestum erat, per se parùm cernens, coacta,*  
*est pervidere?* Idem togatæ virtutis, ac eloquentiæ  
 Romanæ princeps, cæci Drusi, eximii quippe Icti, do-  
 mum consultoribus repletam fuisse; & Aufidium, no-  
 bilem senatorem Romanum, Græcam scripsisse histo-  
 riam, & cæcum licet, vidisse in litteris, itidem (s) obser-  
 vavit. Drusus verò non jus civile tantùm interpreta-  
 tus est; sed volumina quoque & monimenta publica  
 confecit. *Nam, ut senem, ait (t) Maximus, illum na-*  
*tura, cæcum facere fortuna potuit: ita neutra interpellare*  
*valuit, ne non animo & videret, & vigeret.* Druso jun-  
 git idem Valerius Paullum Senatorem & Pontium Lu-  
 pum, equitem Romanum. *Qui suis temporibus*  
*cele-*

m) l. 10. c. 15.  
 U. C. ed. Gro-  
 nov. p. m.  
 762.

n) l. Exempl.  
 Memorab. c.  
 13. §. 5. p. 381.

o) l. de Sene-  
 Etute longu-  
 le ab in.

p) in vita  
 Pyrrhi p. m.  
 394. ed. Xyl.

q) l. 6. Fasto-  
 rum longule  
 ab in.

r) loc. cit.

s) loc. cit.

t) l. 8. c. 7. §. 4

\* celebres causarum actores, luminibus capti, eadem industria forensia stipendia executi sunt. Itaque frequentius etiam audiebantur, concurrentibus aliis; quia ingenio eorum delectabantur; aliis, quia constantiam admirabantur. Xenarchum item, philosophum Peripateticum, Alexandriae, Athenis, ac Romae, cum familiariter Augusto usus esset, vitam honoratam docendo exegisse, tandemque senio fractum, oculorum lumen perdidisse, testis est Strabo (u) Amasenus, Cassii quoque Longini, Jurisconsulti luminibus orbati, meminit Svetonius Tranquillus in Nerone Claudio. Addo his Asconium Pedianum, clarum ac eruditum virum, quem historias condidisse, & LXXII. aetatis suae anno captum luminibus, XII. postea annis in summo omnium honore consenuisse, refert (x) Hieronymus. Hic est ille ipse Asconius, qui sub Nerone & Vespasiano florens, Historiam & eximios illos commentarios, quorum non nihil superest, ut liberis suis gratificaretur, in Ciceronis orationes conscripsit: quod contra Jos. Scaligerum in Animadv. Eusebianis rectius sentit (y) Vosius. Claudianus quoque (z) Mamertus Herophili cujusdam e Graeco Gymnasio meminit, qui Theopompum Geometricum sine radio docuerit: cui de Hebraicorum prophetarum numero (sic ipse loquitur) Tobiam subjungit. Quod si & sacras excutere paginas hic licet, huic fortasse viri sancti alii & Θεοδίδακτο, & à spiritu divino afflati adjungi quodammodo possent, Isaacus (a) Patriarcha, ejusque filius (b) Jacobus, Ahias (c) propheta, Eli (d) pontifex maximus. Transeo ad Christianos: in quibus Didymus Alexandrinus, doctissimus vir, praecipue commemorandus

u) l. XIV. Geograph. edit. Casaub. pag. 461.

\* c. XXXVII. p. m. 628.

x) In Chronico Eusebiano ad annum MMXCI.

y) l. 1. de Histor. Lat. c. 27. p. 144.

z) l. 3. de Statu animae c. 9. p. 187.

a) Gen. 27. 1.

b) Gen. 48. 10

c) 1. Reg. 14. 4

d) 1. Samuel. 4. 15.

e) p. 25. randus venit: cui hoc calamitatis contigisse, complu-  
 f) p. 716. res scriptorum tradidere. Quem cum adolescentu-  
 g) l. cit. lus cæcum fuisse cognossem, Didymum illum ex ni-  
 h) l. 1. Epist. mio legendi scribendique studio, utpote qui infinita,  
 88. p. 743. ed. fere scripsisset, χαλένπερ. exinde dictus, Hesychio (e)  
 Schott. & Suida (f) testibus, id morbi contraxisse sibi opina-  
 i) l. IV. Hist. bar. Sed hic junior, Christianus quippe, & B. Hiero-  
 Eccles. c. 27. nymi præceptor, seculo IV. claruit, cum ille Ciceronis  
 p. 273. ed. Co- tempore, ad Augustum usque floruisset, ut Suidas (g)  
 lon-Agripp. moner, & ex seculorum serie colligitur. Iste in primis  
 k) l. 2. H. Ecc Theologus & Philosophus, illò Ethnico & Philologò,  
 7. p. 215. edit. & eò sæpe quidem, ut è Seneca (h) cognosco, frigidò  
 Bas. Gryn. ac febriculosò, à puero sensu orbatus oculorum, Poëticam,  
 l) l. 4. H. E. c. Rhetoricam, Arithmeticam, Geometriam, Astronomiam,  
 20. pag. 303. Aristotelis ratiocinandi modos, & eloquentiam Platonis  
 ejusd. edit. aurium adjuvento didicit: ut refert (i) Theodoretus,  
 m) l. 3. H. E. Cyrnensis episcopus, Ruffinus, (k) Aquilejensis eccle-  
 c. 14. p. 483. siæ presbyter, Socrates (l) Scholasticus, Hermias (m)  
 ejusd. ed. Sozomenus Salaminius Scholasticus, Nicephorus (n)  
 n) Hist. Eccl. l. IX. c. 17. ed. Callisti filius Xanthopulus, M. Aurel. (o) Cassiodo-  
 Frac. p. 483. rus. Hunc quinto ætatis suæ anno cæcum extitisse,  
 o) Hist. Tri- narrat Hieronymus in *Chronicis* & in (p) *Catalogo Scri-*  
 part. l. VIII. ptorum *Illustrium* hæc opera in lucem publicam edidis-  
 c. 8. ed. Frac. se refert: *Commenarios in Psalmos omnes. Commen-*  
 p. 136. *tarios in Evangelia Matthæi & Joannis. Et de Dog-*  
 p) In Didy- *matibus, & contra Arianos libros duos. Et de Spiritu S.*  
 mus, non ad- *librum unum, quem ego in Latinum verti.* Laudat hunc  
 eò longè à fi- *Didymum sæpius beatus scriptor in Epistolis suis.*  
 ne. *Cum primis memorabile opus est de (q) Spiritu S. quod*  
 q) v. Barth. *contra prioris ævi sectarios, quos nostræ ætatis Photi-*  
 l. LXX. Adv. *niani excepere, turpissimarum Harpyiarum instar, cla-*  
 c. X. p. 2542. *ram*  
 & l. LI. c. *XI.*



ram S.S. de Sp. S. doctrinam foedo contactu conspurcantes, non sine veteris ecclesiae applausu conscripsit: cuius argumenti opera quoque Gregor. Nyssenus, Cyrillus Alexandrinus, Ambrosius, Chrysostomus, aliiq; sanctissimi viri dederunt. Pygmenium quoque, Romanum Presbyterum, ambobus oculis captum, quod ecclesiae hostes intueri non posset, lætatum hęc calamitate, gloriatumque accepimus. Cui cum aliquando Julianus, deterrimus Christianorum hostis, *Deo ago*, in-  
*quiens, habeoque gratias, quod te video, ô Pygmeni, obviam* esset factus; is quoque, *eidem Numini, ait, maximas ex-*  
*solvo grates, quod te, Juliane, videre non liceat:* cuius rei testem alium laudare jam non possum, quam M. Antonium Coccium (r) Sabellicum. Nec prætere-  
 undus est Abigaus Hispanus, presbyter; quem de cæ-  
 citate B. Hieronymus (s) ita consolatur: *Nec doleas,*  
*si hoc non habeas, quod formicula & musca, & serpentes*  
*habeant, id est, carnis oculos &c.* Mutuatus hęc est vir  
 sanctus ab Antonio, qui ab Athanasio, Alexandriae epi-  
 scopo evocatus, præsentem Didymum isthoc alloquio  
 firmavit: Hieronymo teste (t) epistolâ, quâ Castru-  
 cium Pannonium, oculis casum, erexit. Nec dis-  
 sentit (u) Ruffinus, qui cum Socrate & Sozomeno (x)  
 Antonium adjecisse ait: *Sed letare; quia habes oculos,*  
*quos angeli habent, quibus Deus videtur, per quos tibi ma-*  
*gnum scientiæ lumen accenditur.* Plures ex antiquis si  
 dare vellem & valerem, recentiores præteriturus vi-  
 deri possem: quod contra fas, contraque datam fi-  
 dem esset. Habent enim & nostra secula, quibus cum  
 vetustis comparari contendique possunt. Ac com-  
 pulit quondam homines in admirationem sui Joan.

B

Ferdi-

- r) Tom. 4.  
 Exemplor. l.  
 5. 6. 7. p. 100.  
 ed. Basil.  
 s) Epistolâ,  
 quæ incipit:  
 Quamquam  
 mihi multo-  
 rum.  
 t) Ep. San-  
 ctus filius  
 meus.  
 u) loc. cit.  
 x) locc. citt.

y) Philippus  
Camerarius  
l. 1. Hor. sub-  
ces. c. 37. pag.  
171, 172.

z) Paul. Jo-  
vius l. XVIII.  
p. 861. ed.  
Basil.

a) Histor. sui  
temporis lib.  
XXXIV. pag.  
646.

b) l. XLIV.  
p. 545.

c) l. V. Hi-  
stor. Philos. c.  
10. p. 293. f.

d) Tract. de  
Superstitio-  
ne c. 5. sine

e) l. XXXIV.  
p. 644.

f) ad annum  
c1c 10 LX.

Ferdinandus, patre Hispano in Flandriâ natus, qui duo magna studiorum impedimenta, cæcitatem & inopiam, ita assiduo labore ac meditatione superavit, ut non modò Poëseos ac Philosophiæ, sed & utriusque Musices insignem notitiam sibi acquisiverit. Quem longè (y) supergressus est Nicasius de Werdâ, Mechliniensis, qui tertio ætatis anno cæcus, Philosophiæ Magister, Theologiæ Licentiatus, tandemque Juris doctor, & Scholæ præfuit, & publicè concionatus, jurisprudentiam quoque non sine aliorum admiratione docuit. Nec Muleasem, regem Tunetanum, præterierim, qui *ab immâni fratris injuriâ, exustorum oculorum immanitate (z) miserabilis, per otium cum philosophis de naturâ universi, & de motu cœli, potestateque siderum exactissime ex Averrôis disciplina disputabat: ut refert (a) Paulus Jovius, Novocomensis, Episcopus Nucerinus. Hic seculo superiori, regnò & luminibus spoliatus, Neapolim in Italiam venit, ut grave, quod impenderet, periculum evaderet. Nam uti erat Astrologia peritissimus, fatali astrorum influxu amittendi regni, & sævæ necis cladem sibi portendi divinabat: eodem (b) Jovio, qui Muleassi præstò fuit, teste. Laudat hunc quoque Georgius (c) Hornius; sed Josua (d) Arndius inter magos reponit. Eum oculorum lumine ita perverso fuisse, ut spectantes malignè contueri videretur, itidem (e) notavit Jovius. Gilbertus Genebrardus Arvernus, Theologus Parisiensis, in Chronographia (f) sua Robertum Mancop, à puero cæcum, tantos in litteris progressus fecisse narrat, ut Romæ Theologiæ doctor factus, Archiepiscopus Armacanus crearetur, legationemque à latere in Hibernia obiret. Ludovicum*

vicum

vicum Broomannum, à nativitate cæcum, artium liberalium doctorem, Juris candidatum, & Musices principem, obiisse Bruxellis, observavit (g) G. J. Vos-  
sius. Galilæo de Galilæis, magno illi magni Hetrur-  
riæ ducis Mathematico, cum immortalis nominis sui  
gloriâ Saturni, nunc rotundi, nunc oblongi phasin,  
Veneris ad instar Lunæ incrementa decrementaque,  
maculas solares, ac quatuor Jovis comites, aliaque  
præclarè observâset, idem tandem miseriam obrigisse,  
idemtidem fandò, litterisque eruditorum \* cognovi-  
mus. Jacobus item Schegkius, haud ignobilis è pe-  
ripato philosophus, eximia illa in Topica Aristotelis  
commentaria, sed justò paulùm prolixiora, ante à se  
concinnata, jam cæcus expolivit, & cum orbe litterato  
communicavit: ceu idem testatur summus virorum  
(h) Vossius. Hoc pacto ferè Lippus Brandolinus, vir  
suæ ætatis doctissimus, si non cæcus, certè insigniter  
lippus, *libros de ratione scribendi* concinnaverat, Rhe-  
toricen, à clarissimo Hungarorum rege, Matthia Cor-  
vino, evocatus, in Pannoniâ profesus: teste Sebastia-  
no (i) Corrado, præstantis eruditionis viro. Visu  
etiam cum privaretur eximius ac elegantissimus vir,  
Joannes Pasferatius, Trecensis, regius Lutetiæ Parisio-  
rum profesor, eruditam *de Cacitate* perscripsit ora-  
tionem, eamque publicè à se habitam, ac typis exscri-  
ptam, Carolo Saldanio dedicavit. Hâc calamitate  
quùm Quilielmus quoque Gripius, cæcus Geldriæ  
Cancellarius urgeretur, insigni libello, senatui Gel-  
driæ dicato, hortatus eum est Erycius (k) Puteanus, J.  
Lipsii Lovanii successor, vir doctissimus ac disertissi-  
mus: cui conferre licet egregii viri, Jacobi Gutherii

g) *Addendis  
ad lib. de 4.  
Art. popul.  
p. 93. f.*

\* v. *Ephemer.  
Erudit.  
tom. 4. p. m.  
189.*

h) *de Rhetor.  
nat. c. 5. p. 41.*

i) *Epistolâ  
ad S. P. Q.  
Rhegiensem,  
tribus Bran-  
dolini libris,  
ab Oporino  
excusis præ-  
missâ.*

k) *Diat. X.  
Amoenitat.  
Hum. p. 697.*

(cujus perdoctos etiam libros *de Jure manium*, & *Officii domus Augustæ* habemus) *Tiresiam*, seu *de cæcitatibus & sapientiæ cognatione* disertationem, ad Gallia Cancellarium, Nicol. Brulartium scriptam. Henricus Rius, Græcarum litterarum in Academia Noricâ olim professor, visu orbis, & *Homeri Iliada interpretatus est*, & *omnia Homeri recitavit ad unguem*: cujus rei memoriam ab interitu vindicari voluit V. CL. Christ. Ad. (1) Rupertus. Et M. Antonium Bonciarum, litterarum commercio Puteano familiarem, scribendo docendoque, cæcitate licet & misero corpusculo deformem, claruisse, litteris prodidit idem (m) Puteanus. Ludovicum Groto, à nativitate cæcum, orationibus & Epigrammatis scribendis in Italiâ inclaruisse, prodit \* Mart. Zeillerus: qui & Romiglacum, Grammatices & philosophiæ studio insignem, concionatorem egregium, ingenio vegeto, expromptâque memoriâ, in Gallia floruisse, ex Sim. Goularto refert. Ut ad juniores & nostræ ætatis viros progrediar, offert se nobis Uldarichus Schönbergerus, celebris quondam Regiomonte Borusorum philosophiæ magister, qui Latinam, Græcam, Hebræam, Syriacamque linguas eximiè doctus, mysteria naturæ quoque scrutatus est, disputator promptus, ac Musicæ gnarus, scopeta quoque tam promptè explodens, ut scopum feriret, aliisque visu instructissimis præriperet palmam. Quamquam mirandum magis, quod sæpè relatum audi, tactu etiam colores discernere potuisse: quâ facultate Mansfeldium Comitem, visu defectum, itidem valuisse, fama fuit. Mortuus Schönbergerus hic est Borussia Athenis: quem erudito carmine celebravit Simon

1) *Disferrt.*  
*ad Valer.*  
*Max. p. 486.*

m) *l. c. p. 343.*

\* *Centur. E.*  
*pist. Miscell.*  
*posthumar.*  
*XLIX. p. 429.*

mon Dachius ; & hæc digna putavit, quæ inter histo-  
rias, quas *Anatomicas* inscripsit, referret (n) vir multi- n) Cent. 3.  
fariæ doctrinæ, Th. Bartholinus. Nec sine quorun- histor. 44.  
dam admiratione Jenæ docebat privatim, sacrasque pag. 87.  
habebat conciones M. Joan. Smidius, SS. Theologiæ  
cultor : cui addo nobilissimum adolescentem, Inno-  
centium ab Einsiedel, Equitem Misnicum, quem ali-  
quoties è Philosophorum, Jurisque consultorum ca-  
thedris cum laude publicè disputantem audii. Nec  
minor fama est ornatisimi juvenis, M. Jo. Burkardi  
Griesingeri, multorum (quanquam nihil præter audi-  
tum habeam) lingvarum cognitione clari. His ad-  
jungo Philippum Boone Hamburgensem, morum  
probitate, doctrinæque elegantia præstantissimum  
juvenem : cui, auditori suo, *Erotemata sua Physica*, plau-  
dente universo Musarum Gratiarumque choro nuper  
emissa, præclarum illud Lipsiæ, imò Germaniæ  
decus, Jacobus Thomasius dedicavit.

Hi sunt, quos famâ ac eruditione claros, recen-  
sere potui, haud ignarus, longè plures à Varrone quo-  
dam, aut Attico, adduci potuisse. Non dubito ta-  
men, quin æquus censor hæc qualiacunque benignè  
accipiat, si quidem nos nondum *canum caput, albam-  
que barbam* intulisse chartis, nec in secesu ac Amal-  
theo tractare libros ac studia cognoverit. Ne verò  
solùm historiam, quam sine Philosophiæ studio steri-  
lem ac infirmam semper putavi, hîc attigisse videar,  
addam quoque, quid de hisce, quæ incautiùs aucto-  
ribus prolata, incautè à multis acceduntur, haben-  
dum sit. Ac primò quidem Ciceroni, Homerum,  
multosque alios sine nobilissimo divinoque visûs sen-

o) l. 1. c. 8. §.  
28. ed. Ra-  
chel. p. 22.

\* v. accura-  
tiss. disputat.  
Scherbii  
Thes. phil. X.  
§. 31. §c. p.  
m. 119.

p) I. Eudem.  
6. 2. edit.  
Duvall. p.  
259.

q) III. Eth.  
Nic. c. 1. §. 35  
r) v. I. Nic.  
c. 10. §. 26. §  
c. 11. §. 8, 9.

su beatos prædicanti, prorsus accedere non potui, ex quo Aristotelem (o) ad Nicomachum curatiùs expendi. Novi equidem Stoicos, aliosque, inter quos P. Gassendus, insultare viro summo, nec tamen insultè adeò à Lyceo dissentiri. At qui res non in Idea, sed ut revera sunt, contemplari studuit, nec quæ ipsa Natura & sensus ingerunt, ingenii figmentis separare didicit, is Peripatum Stoà veriora docere, manifestè deprehendet, facilique negotio dissidium componet, si dixerit, hominem ceteris instructum, hoc uno aut alio destitutum, omni ex parte non posse beatum dici, cum desit, quod μακαρισμὸν illum reddat omnibus numeris absolutum. Non aliter ac dentibus laborans, cetera licet integerrimus, sanus; & cui certum supremæ potestatis genus deest, Monarcha vocari haud potest. Ut proinde Beatitudo pertineat ad illa, quæ Aristotelis schola vocavit πρὸς ἐν, ἢ ἀφ' ἐνός: quorum complura genera esse, Aristotelicæ philosophiæ\* consultum latere non potest. Quod si objeceris, hæc externa Bona esse, quæ ad Essentiam interni Boni minimè pertineant, scias, Sanitatem, divitias, amicos, & ejuscemodi habere se ut *Causam s. conditionem sine quâ non*: ceu disserit quoque (p) Aristoteles. Ut tamen, modò cetera benè se habeant, *infelix* idèò nequaquam existumandus sit: quippe cum, ut in aliis quamplurimis solet, detur medium, & ὁ μακάριος ( caret enim nomine ) *non-beatus*, velut alibi (q) ὁ ἕκων, argutè statuatur (r) Aristoteli. In quam sententiam præclarè quoque disputat Philosophus Δεισιδαιμονία, & cui cum civibus beatioribus melioris philosophiæ lux præ aliis affulsit, Flaminius Nobili-

bilius Lucensis, doctissimo libro (s) *de Hominis felicitate*. Quare plus rhetoricatur, quàm disputat accuratè Tullius: qui tamen se philosophi partes inibi non egisse, fortean ægrè ferret, laudaturque cœcitas ferè non aliter, quàm à Callicle vituperatur Philosophia, Calvities commendatur à Synesio, Podagra à Luciano, Cardano & Pirckheimero, Stultitia ab Erasmo, Barbaries à Mirandulano, Quartana à Phavorino & Menapo. Quæ enim materiam laudi hîc subministrant, per accidens sunt, ac sæpe ejusmodi ingeniosius, quàm veriùs dicta, in primis si à serio animo profiscantur, Deo omnium bonorum fonti, injuriam faciunt. Quanquam Oratorem suo jure \* ejusmodi coloribus uti posse, nemo est tam à Musis alienus, qui neget: cum non vulgus tantùm, sed & docti quidam ejusmodi sermonis delinimentis capiantur, ut ferant, quod ferre, quàm, si ad naturæ institutum respicias, laudare par est. Ut titulus *De ferendâ equò animo cœcitate* justior meliorque fuerit, quàm *De laude ejus*: cujusmodi, *De tolerandâ scilicet orbitate*, doctum libellum inscripsit Jac. Gutharius, operi *De Jure Manium* subjunctum. Firmiora tamen sunt, quæ ab *Efficiente* seu *Permittente*, & *Fine* calamitatum tradunt Theologi, quòdque illata miseria averruncari non possit, ac proinde, necessariò toleranda sit. Quod posterius etiam gentilibus solatio fuit, ut nullum majus moriendi necessitate solatium fuerit (t) Senecæ. Cujus haud dubiè memor Timoleon, laudatissimus ille Siciliae Imperator, cum *atate proventus, sine ullo morbo lumina oculorum amisisset*, hanc calamitatem ita moderatè tulit, ut neque eum querentem quisquam audierit, neque eò minùs

pri-

s) l. III. c. 8, 7.  
p. m. 164. & c.  
& l. I. c. 15.  
p. 51.

\* v. Vossum  
Instit. Ora-  
tor. l. 1, c. 5.  
p. m. 110.

t) l. VI. Nat.  
quæst. c. 2. p.  
m. 754, 755.

u) Corn. Nepos in Timol. c. IV §. 1.  
x) Plut. in vita Timol. sub f. p. m. 254.

y) Phil. Ca-  
merar. Cent. III. c. 80. p. 303.  
z) p. m. 86.

a) Comment. de Imperatore Justiniano p. m. 41. Adde Burgoldensem ad Instrum. Pacis part. 1. p. m. 274.  
b) v. Nicol. Alemannū ad Procopii Avēdotā p. 10. & p. 85.

*privatis publicisque rebus ( u ) interfuerit. Quem ta-*  
*men exinde imperio se abdicasse, refert ( x ) Plutar-*  
*chus, hâcque calamitate non ex lascivia & intem-*  
*perantiâ, aliave sui culpâ, sed hæreditario vitio*  
*& ætate ingravescente defunctum esse memorat.*  
*Certè præferendus hâc parte, licet ὁ ἔξωθεν, Petro de*  
*Vineis, Christiano, viro cetera sui ævi summo ac præ-*  
*stantissimo; qui à Friderico II. Imperatore, cujus*  
*Cancellarius fuerat, oculis orbatus, ejus sive ignominie,*  
*sive doloris impatientiâ seipsum præcipitem dedit atq; ( y )*  
*interemit: quò de plura referentem vide ( z ) Bernhar-*  
*dum à Mallinkrot l. de Archiepiscopatibus S. Imperii Ro-*  
*mani. Nec enim Sapiens à servis & mancipiis se vin-*  
*ci patiat, qui sæpè effosis, non tantùm velatis ocu-*  
*lis ( quò Simsonis historia spectat ) ad pistrinum damna-*  
*tî, velut jumenta, corio obducta oculos, molas cir-*  
*cumagentes, inter miserrimos labores ac tenuissi-*  
*imum victum cantabant. Belisarius quoque, Justinia-*  
*ni præfectus, à domino, ob formidabilem virtutem ac*  
*felicitatem invisus, visu spoliatus, moderatiùs se ges-*  
*sit: quod Græcos imperatores, aliosque principes,*  
*regiis virtutibus illustrique genere præstantibus viris,*  
*ne regnum affectarent & invaderent, fecisse accepi-*  
*mus: Licet de Belisario, quod de multis aliis haud*  
*injuriâ solet, non sine ratione ( ejus enim fabula ne vo-*  
*la quidem, ut dicitur, aut vestigium in ullo veteri scripto-*  
*re extat, ait magnus ille Jureconsultus & Philologus,*  
*( a ) Ob. Giphanius ) à viris doctis ( b ) addubitetur.*  
*Prudenter Poëtæ augurem Tiresiam, quem sapientem fin-*  
*gunt. nunquam inducunt deplorantem cæcitatem suam:*  
*at verò Polyphemum Homerus cum immanem ferumque*  
*finxis-*



*finxisset, cum ariete etiam colloquentem fecit, ejusque  
 laudare fortunas quòd, quà vellet, ingredi posset, & , quæ  
 vellet, (c) attingere. Præclarè quoque veteres Roma-  
 ni: qui, monente (d) Plutarcho, ex corporis notâ non  
 Syllas modò & Rufos; sed & Cacos & Claudios cogno-  
 mina imponunt, probè adfvesciantes cives, ne cecita-  
 tem, vel aliud corporis vitium probrosum ducant, aut  
 contumeliosum; sed aures his, ut propriis nominibus ac-  
 commodent. Revera tamen & doctorum, qui rem ra-  
 tione, non oratione metiuntur, & vulgi suffragio in-  
 gens, ac Theoreticæ & Practicæ *Eὐδαιμονία* efflictim,  
 detrahens calamitas est, hoc cœli lumen, cunctaque  
 Dei Optimi maximi opificia non posse intueri, tot  
 pulcherrimarum rerum notitiâ privari, tam præclarâ  
 ac divinâ voluptate spoliari, meliorique patriæ ac bo-  
 nis viris inserviendi commoditate destitui. Unde  
 (e) Ovidius inter alias horrendas diras hoc etiam ini-  
 mico suo mali imprecatur:*

*Id quod Amyntorides videas, trepidumque ministrò  
 Prætentis baculò luminis orbis iter.*

Cujusmodi hominem Poëta & Orator mortuum, aut  
 vivendo mori assiduè diceret, qui certè mortis imagi-  
 nem gerit, & hanc privationem cum mortuis hæc-  
 nus communem habet. *Cæcus & vivit, & effert se  
 funus quotidie. Mortuus enim vivens est.* Propterea  
 ait Manilius, *cæcis genitis geminam mortem dari. Nam  
 & vita, quam vivunt, mors est; quia sine luce: & mors  
 altera omnibus communis nihilominus eos (f) manet.*  
 Nec cæci illi medicas Salvatoris manus, nec nostri,  
 boni utique viri, medentium flagitarent opem, si fe-  
 licior hæc eorum, quàm miserior sors esset. Ut

C

pro-

c) Cicer. l. V.  
Tuscul. quest  
sub f.

d) In Corio-  
lanop. m.  
218. f.

e) In Ibin p.  
m. 164.

f) Jos. Scali-  
ger Not. ad  
Manil. p.  
m. 307. f.

g) Livius l.  
XXVI. c.22.  
p. m. 460.

b) In Excerptis & vitâ  
Athanasii p.  
499.

i) Declamat.  
I. pro Caco  
p. m. 5.

proinde & gravis ac sapiens T. Manlii Torquati, delatos sibi fasces ob oculorum valetudinem recusantis, vox fuit; haud rectè civium ac reipublicæ salutem ei concedi, qui alienis oculis arbitrari, ac administrare omnia (g) cogeretur. Quod verò manu ille ac consilio promptissimus Husitarum dux, Joannes Trosnovius, amisso oculò zisca, hoc est, cæcus vocatus, & altero tandem ad Rabum oppidum casus oculo, adeoque omni lumine orbis, nihilo seciùs fortissimè bellum profligaverit, Peronam, Brodam Teutonicam, Cuthnam expugnaverit, ac Imperatorem cum validissimis auxiliis in fugam declinaverit, resque confecerit maximas, τὸ θεῖον illud & cœleste regimen non possum non agnoscere. Nec dubium, eos, qui hac miserâ onerati, nihilominùs reipublicæ operam dare annisi sunt, visu integros & meliùs & promptiùs negotia sua fuisse exequuturos. Sed antequam ad Democritum transeo, quædam, quæ imponere incauto possint, diluenda sunt. Cæcitas enim id commoditatis felicitatisque habere videri posset, quod mala, quæ per oculos animis insinuantur, intercludat, peccandiq; occasionem intercipiat. Unde & Pigmenius, seu Mares, Chalcedonis Episcopus (de hoc enim refert (b) Photius) gratulatus sibi est, Deoque egit gratias, quòd cæcus impurum Juliani ἡδὲ βατὸς os cerne-  
re non posset. *Cæcus miserior est, ait Quintilianus, (i) sive is, quod verius, Postumus Junior est, quàm ut invisus sit; timidior est, quàm ut oderit. --- Vitius enim nostris in animum per oculos via est. Aliis tradidit in parentum sanguinem luxuria ferrum, luxuria videntium crimen: aliis meretriculæ amor immodica poscentis:*  
AMOR,

amor, cui renunciant oculi. Convenit istis hæc L. An-  
 næi (k) Senecæ, modò auctor is est, aculeata oratio: *In Excer-*  
*Oculos perdidisti. Quam multis cupiditatibus via incisa* *ptis à Schot-*  
*est? quàm multis rebus carebis, quas ne videres, vel e-* *to Seneca suo*  
*ruendi erant? Non intelligis partem innocentia esse ca-* *subjunctis p.*  
*citatem. Huic adulterium oculi monstrant, huic in-* *m. 898.*  
*cestum, huic domum, quam concupiscat, huic urbem, &*  
*mala omnia. Certè irritamenta sunt vitiorum, ducesq;*  
*scelerum. Quibus quid responderi possit, investes et-*  
 iam Ἰὼν Φιλοσοφὸν Ἰων pueri nôrunt: nempe hæc om-  
 nia ex abusu fieri & per accidens: cùm Natura ma-  
 lignè aliàs providisset homini, quem tot tantisque  
 nequitia instrumentis instruxit. Et cape tibi illud  
 Scholæ Peripateticæ præceptum: Abstemium tempe-  
 rantem, Eunuchum castum, Eremitam justum, Irum  
 diætæ observantem propiè dici non posse; sed eum,  
 qui omnibus ad benè aut malè agendum requisitis in-  
 structus, sponte sua, consultò ac *παραρέτως*, ea tan-  
 tum modò peragit, quæ rectæ rationi, & ut nos loqui-  
 mur, pietati ac bonis moribus sunt consentanea. Ete-  
 nim divinum Numen Mentem, tanquam Aurigam fe-  
 roci equo, præfecit humanis affectibus, ut si ejus ma-  
 gisterio oculos modereris, nihil peccaturi sint sensus  
 ministri ac servi, ut pulchrè disferit (l) Arrianus. Et  
 sanè ejusmodi homo potiùs φύσει, quam ἔθει tempe-  
 rans esset; cùm tamen *boni vel improbi non simus* (m)  
*naturâ. Ut hîc quoque errent illi, qui ὀφείζουσιν ἰὰς*  
*ἀρετῆς ἀπαθείας τινας, καὶ* (n) *ἡρεμίας. Ad Democri-*  
 tum devenio, quem oculorum luce suâ sponte se pri-  
 vasse, Agellius (o) refert: *quia existimaret cogitatio-*  
*nes commentationesque animi sui in contemplandis na-*  
*tura*

l) *Disfert. l.*  
*11. c. 23. p.*  
*m. 122.*  
 m) *v. Ari-*  
*stot. Ethic.*  
*Nic. II, 5, 13.*  
 n) *l. cit. c. III,*  
*v. 10.*  
 o) *loc. cit.*



*tura rationibus vegetiores & exactiores fore, si eas viden-*  
*di illecebris & oculorum impedimentis liberasset.* Lar-  
 gior quidem, ingenii acrimoniam, nullis spectandi  
 illecebris abductam, distractam, & in alio occupatam,  
 acui fortè posse, sibi que tantum relictam, exactius  
 scrutari ac penetrare posse. At ideò *αὐτόχειρα*, sui-  
 que ipsum carnificem fieri, quis est tam ineptus, tam-  
 que nefarius, qui probare sustineat? Nonne ex philo-  
 sopho Momus factus, tacitè vituperat, quò Deus &  
 Natura, quæ nihil agunt frustra, hominem, ceteraque  
 animantia insigniter instruxit? Cur se homo lucifu-  
 gus non in cuniculos ac speluncas ferarum abscondit,  
 ut, quod voluit, sine scelere abundè consequeretur?  
 Nec æmulum adhuc invenire potuit stultè industrius  
 Sapiens, quando præstantissimi Philosophi palmam  
 eruditionis ac sapientiæ sine hoc crimine, & magiæ,  
 cujus ille suspectus, ope præripuerunt. Neque multa-  
 rum rerum, quas aut nondum vidit, aut non satis per-  
 spexit, causas indagare posthac potuit Democritus:  
 siquidem, quod Poëta de amore ait, sensus, & imprimis  
 oculi, in Philosophia duces sunt, & sine sensu naturæ  
 arcana rimari, est *ἐν ἐκ τῶν ἀδυνατάων*. *Φανερὸν δὲ* inquit  
 (p) Philosophus, *ὅτι εἰ τις αἰσθησις ἐκλείπειν, ἀνάγκη*  
*καὶ Πιθήμην τινα ἐκλείπειναι.* Unde etiam illud Ari-  
 stoteleum: *Nil est in intellectu, nisi prius fuerit in*  
*sensu; & διὰ τῆς γενέθλης τυφλὸς* eorum, quæ sensui  
 huic subjacent, adeoque plurimarum rerum cogni-  
 tionem acquirere non potest. Ratio hæc est, quia  
 discimus & cognoscimus aut *Inductione*, aut *Demon-*  
 stratione. Sensu itaque destitutus *Inductione* uti non  
 potest; quia hæc est (q) *à singularibus*, quæ sensu (r)  
 cogno-

p) l. Post. A-  
 nalyt. 19. p.  
 m. 215.

q) l. I. Top. c.  
 12. p. 266.

r) l. II. de A-  
 nimâ c. 5.  
 p. 29.

cognoscuntur, *progresio*. Nec *Demonstratione*; quia hæc est *Universalium*; *Universalia* autem nisi facta *Inductione*, contemplari non possumus. Cui confer elegantem illam in (s) Analyticis & (t) Metaphysicis Gradationem. Unde etiam fit, ut *quædam ob αἰσθησεως ἔλλειψιν* (ubi scilicet ob impedimentum quoddam sensus se exerere non potest) referantur inter (u) *problemata*, & κτὲρ λόγον, id est, probabiliter (x) tantum, quod *sic esse, vel fieri possit*, de iis disputari queat. Ut proinde rectè hîc pronunciari possit, quod alia in re apud (y) Senecam Tragœdum pronunciavit Tiresias:

*Visu carentem magna pars veri latet.*

Ex quo colligitur, Homerum, qui tot bella, tot pugnas, tot regiones ac loca, tot genera animalium, navium, ducum, variâ oratione depinxit, à nativitate cæcum non fuisse, nulloque idoneo auctore id probari posse, rectè sentit (z) Jo. Brodæus, eximii iudicii ac eruditionis Criticus. Et rectè jamdudum (a) Vellejus Paterculus: *Homerum si quis cæcum genitum putat, omnibus sensibus orbis est.* Ut proinde non credamus Silio (b) Italico, qui hæc de Homero:

*Carmine complexus terram, mare, sidera, manes,  
Et cantu Musas, & Phœbum æquavit honore.*

*Atque hæc cuncta, priusquam cerneret, ordine terris  
Prodidit, & vestram tulit usque ad sidera Trojam.*

Democrito quoque ipsi à Græculo fortè quodam cæcitas vel propria, vel impropria, ut loqvuntur vulgò, afficta quosdam in errorem induxit: apud Laërtium certè, aliosque nihil tale legas. Ipse quoq; Cicero id addubitat, (c) & Plutarchus prorsus falsitatis arguit. (d)

C 3

Quò

s) II. Anal. post. c. 19. §. 5. p. 254. f.  
t) I. Metaph. c. 1. p. 260.  
u) I. Post. Anal. c. 13. p. 211  
x) l. 1. Meteor. c. 7. p. 756.  
y) Oedip. v. 295. p. m. 116.

z) V. Miscellan. c. 9. p. m. 535.

a) l. 1. Histor. c. 5. §. 4.

b) l. XIII. Punicor. p. m. 177.

c) l. V. de Finibus p. 162.

d) l. de Curiositate pag. m. 521.

e) Apud  
Gell. l. c.

Quò accedit in assignandâ facti hujus ratione auctorum disensus. Decius enim Laberius, eques ac Mimus Romanus, non meditationis philosophicæ ergò, sed indignatione quâdam voluntariæ cæcitatibus arbitrium occupâsse refert. Verba ejus in (e) *Restione* hæc sunt:

— *Radiis solis aciem effodit luminis,  
Malis benè esse ne videret civibus.*

f) In Democrito reviviscente p. m. 12.

g) Not. ad Vell. p. m. 29.

Ex quibus verbis, Democritum lusciosis tantùm oculis fuisse, ne carpere videretur eum, quem unicè laudandum suscepit, colligit Jo. Chryf. (f) Magnenus. Quam benè, æquus lector judicet. Ex consimili quoque disensu, Homerum cæcum prorsus non fuisse, probare nititur maximus hodiè eruditorum, J. H. (g) Bœclerus. Tandem an cæcus colores tactu dignoscere queat, dispicere animus est: quandoquidem & de Comite Mansfeldio id fertur, & de Schönbergero suprâ laudato quosdam id referre memini. Sed quò minùs his sermonibus fidem habeam, & philosophia prohibet, & timidæ illæ, nec omnium quidam, asserciones. Ac primò quidem fieri non potest, ut sensus excedat proprium objectum, &, quod hujus sensûs organo ex naturæ instituto cognosci debet, alio & prorsus inhabili ad hanc rem instrumento cognoscatur. Quemadmodum enim nemo res sapidas ab insipidis auditu vel visu, sonitus & clamores, prout tales, gustu aut visu, tactive deprehendere potest: ita nec quæ visu capiuntur, tactu explorari queunt: quod certè nemini, nisi qui in ipsâ cæcutit luce, obscurum esse potest. Est enim *αισθησόν* *sensibile* duplex: vel

h) Aristot. l. II. de An. c. 6. ab in.

*proprium*, vel *commune*. *Proprium* (h) est, quod non potest

*potest alio sensu sentiri, v.g. visus coloris, auditus soni. &c.*  
*Communia verò sunt Motus, quies, numerus, figura, ma-*  
*gnitudo. Motus enim v.g. ac forma & visu & tactu co-*  
*gnosci possunt: quod de colore affirmari nequit.*  
*Ex accidenti verò fit, ut sensus aliquis præter proprium*  
*suum, aliis quoque sensus objectum proprium, adeo-*  
*que sibi alienum cognoscat. Si enim cæcus gustatâ*  
*bili, se rem flavam gustasse dicat, gustavit bilem ama-*  
*ram per se, rem flavam (i) per accidens. Non enim*  
*contra licet dicere: gustavi rem flavam; ergò bilem:*  
*ut flavum potius ratione colligatur, quàm percipiatur*  
*gustu. Haud dubie novit hæc omnia Bartholinus;*  
*unde fabulosæ narrationi parùm fidens, de Comite*  
*Mansf. id ferri circumspectè (k) ait: nec, quod stu-*  
*diosi quidam Regiomontani mihi referebant Jenæ, de*  
*Schönbergero ullâ voculâ in Elegia affirmat, qui ta-*  
*men omnia exactè de Schönbergero scire potuit, Si-*  
*mon Dachius, ipse, nî fallor, Borusius, & Prof. Regio-*  
*montanus. Ex quo etiam ars pingendi, quæ in eo fu-*  
*erit, quamque in aliis ei, tacente Dachio, non abjudi-*  
*cat Bartholinus, in dubium vocari potest: licet certo*  
*facto & artificio etiam cæcos scribere didicisse non*  
*ignorem, observatumque est à (l) CL. Vosio, & G.*  
*Ph. (m) Harsdorfero. Non inficias tamen iverim*  
*(redeo ad Borusium) quod à Dachio & Bartholino*  
*affirmatur, & multos, fide haud indignos, testatos no-*  
*vi, eum Musices peritum, Instrumenta sæpè Musica ex*  
*arte confecisse, ac sclopeto artigisse scopum. Tactu e-*  
*nim valens & auditu hæc præstare quivit, missoque*  
*famulo, ceu retulerunt, aliove ad orbem illum ligne-*  
*um, pulsoque aliquoties illo, acutis auribus positum*

i) v. *Aristo-*  
*tel. l. III. de*  
*An. c. 1. ante*  
*med.*

k) *loc. cit.*

l) *l. de IV.*  
*Artibus Po-*  
*pul. c. 2. de*  
*Gramma-*  
*tist. §. 9. p.*  
*m. 10.*  
 m) *Delic.*  
*Mathem.*  
*part. XIV.*  
*p. 512.*

scopi

n) Cent. 1.  
Hor. subces.  
c. 37. p. 169,  
170. & cent.  
3. c. 80.  
o) v. Ephem.  
Erudit. tom.  
II. p. m. 403.

scopi & terminum potuit arripere. Verum enim est, quod vulgo etiam traditur, Naturam, quod uni sensuum ademerit, alteri conferre, adeoque vim & facultatem ejus hoc pacto corroborari & augescere: quam in rem notatu digna lege apud (n) Phil. Camerarium. Quare hæc omnia nolim inficiari: unicum illud, quod colorum discrimen explorare tactu valuerit, credere non possum. Sed alia, & nova hinc nobis opponitur auctoritas ac testimonium Franc. Mariæ Grimaldi, qui (o) tractatu Physico-mathematico De lumine, coloribus & iride esse refert, qui oculis velamine obductis tactu omnia colorum genera discernere potuerit: quem & in Magni Hetruriæ ducis præsentia variâ varii coloris sericâ oblatâ, promptissima dedisse documenta. Verum, si ipse viderit, scire nequeo, cum libro destituar. Admodum verò res mihi videtur suspecta, quòd hoc experimento sententiam suam de coloribus, eorum varietatem *non nisi à vario partium in superficie coloratorum corporum situ, quò lumen diversimodè reflectatur, oriri, confirmare audeat.* Quæ sententia ut ab antiquiori & saniori philosophia recedit, ita & errorem & falsitatem haud obscure prodit: quem ille leviculâ hæc fabellâ, tanquam validissimo experimento corroboratum iri autumabat. Solent enim hodiè, qui veterem philosophiam nobis è manibus ac animis excutere laborant, meras crepare experientias, iisque semet, tanquam Ajacis vel Achillis clypeis tegere, cum tamen persæpe aut rem ipsam non attingant, aut dubia prorsusque fabulosâ nitantur fide: quò de peculiari quâdam, *σὺν θεῷ παλάμα, De fabulis in philosophiam male receptis*



receptis disertatiunculâ. Ac his inducti priscam  
philosophiam allatrant, sibi que solis risisse Apollinem  
arbitrati, nova principia ac monstra cudunt, aliisque  
tanquam ancilia cœlo delapsa laudant, persvadent.  
Quod in primis iis obvenire solet, qui Mathematicis  
studiis innutriti, ad Physica, & quæ per (p) causam  
efficientem ac finalem demonstrant, nec diὰ φαιέντων  
sunt, transeunt velut in aliena castra, ibique ingenii  
sui vires periclitantur & ostentant: prorsus similes  
Pythagoreis, qui cum omne in mathematicis studium col-  
locarent, de rebus naturalibus loquentes, imperitè suis eas  
rationibus, non eis suas dissertationes accommodabant,  
teste (q) Eustratio, solertissimo Aristotelis interprete.  
Verum me dicere, Ephemerides eruditorum, non sine  
litterariæ reipublicæ fructu adhuc concinnatæ, osten-  
dent: quibus perlectis, miraberis plerorumque in-  
consultum antiquitati detrahendi studium, febriculo-  
samque novè sentiendi pruriginem.

*Nam nunc quæ prodeunt philosophiæ*

*Multò sunt nequiores, quàm numi novi.*

Sed quò prolabor? In viam ut redeam, quæ è viro  
quodam non litteris exculpto quidem, spectatæ tamen  
prudentiæ, multique usûs homine audivi, narrabo.  
Is cæcum quendam, cui ipsi quoque oculorum orbes  
fuerint eruti, (nec enim connivere potuisse, ut quos-  
dam, velut in lusu pueri puellæq; velatâ facie soleant,  
simulâsse cæcitatem pro comperto habeat) qui solo at-  
tactu, sciscitantibus cuius hæc & illa materies coloris  
sit, promptè indicaverit. Fuisse verò aliis præterea  
artibus, quæ ab ingenio & facultate naturali proveni-  
re non possunt, impensè instructum, spiritusque

D

παρέ-

p) v. Aristot.  
III. Nic. 8. 19.  
III. Metaph.  
288.

q) Ad l. II.  
Nic. Ethic.  
c. 1. §. 2. p.  
m. 117. v.  
H. Conring.  
De Cal. In-  
nat. c. XV.  
p. 155. V. H.  
Vogler. In-  
stit. Physiol.  
l. 1. c. 14. p.  
138.

*παρέρδης* consortio ( quorum familiaritate antiqui  
 Poëta & Philosophi nonnulli, inprimis Pythagorici  
 ac Platonici usi sunt, hodieque hujus sceleris Tritthe-  
 mius, Paracelsus, Agrippa, Fluddus, Vaninus ab eru-  
 ditis alligantur) admodum infamem. Verùm fateor  
 ego profiteorque, me neminem hujus criminis insi-  
 mulaturum: hoc tantùm pronuncio, solere crebro  
 hominibus credulis, etiam principibus, ut de Che-  
 micis quibusdam & Agyrtis constat, imponi, & fu-  
 mum novarum istiusmodi rerum mirionibus insigni-  
 ter vendi: qui ipsi deinde rem extollunt in majus, a-  
 deoque fallunt ac falluntur egregiè. Neque igno-  
 tum adeò vulgo est, cæcos ac claudos, emendicatâ sti-  
 pe, ridentes miserantium liberalitatem, integros, ut  
 venerant, omisâ simulatione abiisse. Ceterum lu-  
 bens assentior *χαρμεσάτω* (r) Bartholino, quando &  
 hæc perscribit: *Novi cæcos &c. Alius lumine à na-  
 tivitate casus ludum Pythagoricum, vulgò Schacchium,*  
 (quem Arabibus debent nostri (s) Europæi, eleganti  
 carmine à M. H. Vida Cremonensi, & peculiari libro  
 à Gustavo Seleno, qui est Serenisi, Brunsvic, & Lüneb.  
 princeps Augustus, *ὁ μακροβίτης*, (t) descriptum, quem-  
 que ob exquisitissimam attentionem, adeoque inge-  
 nii in re non seriâ attritionem filio suo, Walliæ prin-  
 cipi, interdixit (u) Jacobus, magnæ Britanniæ rex )  
*tam callebat accurate, ut non tantum omnes artificio su-  
 peraret, sed & fallentes deprehenderet. Tactu enim,  
 digitorum omnes calculos discernebat, & summam uni-  
 versi ludi animo suo complectebatur. Quod si verò  
 priùs, visu incolumes, ejusmodi artes quodammodò  
 addidicerint, aut objectum tantùm artis aliquatenus  
 oculis*

r) l. c.

s) Rupertus

ad l. III. c. 2.

Val. Max.

9. 6. p. 212.

t) v. Herm.

Conring. De

Bibliothecâ

Augustâ p.

151.

u) l. III. Do-

ni regii p.

162.

oculis cognoverint, quàm usum oculorum prorsus amiserint, tunc feliciori successu progredi in arte possunt. Quare quod Franciscus Salinas Brugensis Latinè, & eleganter quidem, ut fidem facit (x) Andr. Schottus, de Musice commentatus sit, ut etiam ceteros artifices superaverit, tam mirum profectò non est, quàm si hæc ab ortu cæcus præstitisset. Nullus enim dubito, quin jam tum videns, in arte eâ aliquid percepit. Nihil autem admirationis, licet affatim laudis, habet, si eruditus ea, quæ callet, & probè meliore ætate exercuit, etiam senex ac cæcus strenuè excolat, aliisque inculcet: quod Oppius Cares Grammaticus à (y) Svetonio libello s. fragmento potius *De illustribus Grammaticis* fecisse memoratur. Quò magis proficere cæcus potest, si ad aliquem, quem antè habuit, oculorum usum, accesserit hoc, ut ars illa potissimum tactu & instrumentis corporis exerceatur. Ejusmodi enim hominum concinni actus, eorundemque habitus in mente, ut loquar cum Scholasticis, radicantur, & à mente proficiscuntur; sed in manibus, & organis corporeis terminantur, iisque maximè exeruntur, ita, ut sæpe defectum unius sensus alter supplere possit: ut supra quoque diximus. Unde faciliùs fidem meretur, quod de Jo. Gambasio, præstanti statuario, refert Ul. (z) Aldrovandus *in Historia monstrorum*, eum utroque captum oculo, artem omis-  
sisse ad tempus; deinde ad eandem reversum contritâ accuratè Cosmi I. Hetruriæ ducis, statuâ marmoreâ, aliam ex argillâ tam affabrè illi similem expressisse, ut omnium applausum mereretur, seu, ut *αορὸς Βαυλῆα* Aldrovandus, *omnes novitate rei stupidos*

x) *Ad Chrestomathiam Procli pag.*

44, 45.

y) *c. III. p. m. 822.*

z) *Apud Casp. Schottum l. III. Phys. curios. c. 33. p. 489.*

a) Apud  
Schott. l. c.  
p. 488.  
b) l. c.

c) ll. c.

d) Cic. l. 5.

e) l. c.

f) Camer.  
l. c.

reddiderit. Quò pacto & quædam non sine artificio præstitisse cæcum juvenem, qui pulvere nitrato incautiùs usus, utrosque oculorum orbes miserandum in modum perdiderat, refert L. Stengelius l. de (a) *Monstris*. Unde etiam mirari desinet, qui, quomodo Didymus Geometriam & Mathesin cognoscere potuerit, sollicitus, ex (b) Sozomeno cognoverit, eum *linearum formas in tabulâ altiùs aliquando incisas digigitis attigisse*: quò pacto ferè sulcis & litterarum figuris in tabula v. g. cereâ ductis, cæcos scribere didicisse, Vossius & Harsdorferus (c) memorant. Et hac fortassis ratione etiam Diodorus, Philosophus Stoicus, Geometriæ cognitionem sibi comparavit, quam deinde discipulos docuit, *verbis præcipiens discipulis, unde, quò, quamque lineam (d) scriberent*: non aliter ac cæcus dux aut comes, qui longâ viæ itione ignota aliis loca perambulare, atque monstrare potest. Ex eodem Aldrovando in *Physicâ* sua *Curiosâ* commemorat Caspar (e) Schottus, lanionem cæcum, Bononiæ tunc temporis viventem, solo tactu mandandos boves, aliaque animalia, quanti ponderis pretiique essent, taxasse, pecuniæ varium usum valoremque novisse, & equo res suas feliciter expediisse ac promptè. Quò pacto Frankenthalii, oppido inferioris Palatinatus, Ecclesiastes, quem omni videndi facultate prorsus destitutum, sæpiùs in templo, patria ejectis Gallis dato, concionantem audivit vir nobilissimus, Phil. Camerarius, solo tactu & honesta conrectatione ex tribus viri cujusdam honesti filiabus, alienæ commendationi non satis confisus, pulcherriam sibi in matrimonium (f) elegit. At deceptus est

est cæcus ille Abbas à monachis, & alius, uxorem ducturus: quarum fabellarum illam lepidè narrat ac pingit Dan. (g) Sventerus; hanc Schach (b) Saadi, ille Persarum Æsopus. Quare parùm mirum in Musico, si cæcus Instrumenta ex arte tractare didicit, cùm tactu hîc potissimum utendum sit: minus mirum in eo, qui jam visu instructus, artem addidicit, cùm & videntes aut in tenebris, aut averso ab Instrumentis vultu artem præstare nòrint. Idem fortè dixeris de cæcis itinerum ducibus, qui vias saltuum & montium videntibus aperuerint ex pristino visûs vigore & crebris itionibus itinera callentes: quo modo & noctu multa palatii cujusdam conclavia, sæpe sibi trita, sine face quis invenerit. Mirabilius est, quod de naturâ cæco, sed testis auritus, non oculatus, narrat Antonius Panormitanus, Alphonso regi Epistolarum magister, qui & IV. libros de dictis factisque ejus publicavit: quem cæcum Alphonso sæpe venationis ducem habuerit, ac saltuum ferarumque latebrarum indicem. Quò de & jucundam fabulam (i) recenset, quòd pecuniam in agrum recondiderit, quàm conspicatus vicinus compater abstulerit. Quò compertò, cæcus diu obdammum hocce anxius, tandem vicinum adierit, consilium suum de reponendâ ad occultatû in agro aurum majori pecuniâ, cum amicissimo sibi communicaturus. Ille aurum alieno auro fœneraturum ratus, protinus recurrit in agrum, cum defodienda denuò defosam unâ opera ablaturus. Sic ille, artem eludens arte, recuperatâ, quam amiserat, pecuniâ, plus se cæcum oculatò vidisse, verè gloriatus est. Hamar item quendam peregrinantibus in solitudine Libyca

D 3

ducem

g) Delic.  
Phys. Math.  
part. 1. p. 102.  
b) Gülustan  
edit. Olear.  
lib. 11. c. 37.  
p. 71.

i) E quò refert Bapt. Fulgosius Fact. & Dict. Memorab. l. VII. c. 3. p. 256. Balthasar Exnerus Valer. Christiano lib. 11. c. 13. p. 64.

k) Apud Ca-  
merar. l. c.  
p. 304.

l) p. m. 220,  
221.  
m) l. IV. p.  
m. 96.

ducem se præbuisse, cum singulis milliaribus sibi are-  
nam recentem, ut odoratu, quò acerrimo præditus e-  
rat, tractum regionis & itineris longinquitatem ex-  
ploraret, exhiberi imperasset, refert Joannes (k)  
Granatensis, vulgò vocatus Africanus: quem à pira-  
tis captum & dono sibi datum, ac Christianum factum  
suo nomine insignivit Leo X. Papa, ipse antea Jo-  
annes Medices vocatus. Tandem an horoscopus  
hac infelicitate induere nascentem possit, paucis di-  
spiciemus. Crediderunt quidem id ac tradidere ve-  
teres, ut suprà vidimus, docuitque inter alios Proclus  
(l) Paraphrasi, à L. Allatio versâ, ad Ptolomæi τὸ τετράβι-  
βλον, & Manilius (m) in *Astronomico*. Verùm non  
dubito, quin veteres cæcitatem illam Oedipi *cause per-  
accidens* adscripserint: cum cæcitas, ut alia omnia,  
alias sui, proximiores nempe ac veriores habeat cau-  
sas, ut ad tam remota, tam incerta, nullisque firmis  
experimentis subnixa confugere, minus necesse sit.  
Nec revera cancri astrum nubecula, sed minutiorum  
fulgentissimarumque stellarum, distantiâ suâ & mi-  
nori corpore visum nostrum fallentium, congeries est:  
quod & de Galaxia, Coma Berenices, aliisque & ratio  
& telescopium comprobavit. Et posito, nubeculam  
esse, quâ ratione tamen hinc necessariò cæcitas indu-  
catur, equidem pervidere non possum. Quia tamen  
Ratio posthabenda est Sensui & Experientiâ, crederem  
eorum prædictionibus, modò sufficientibus experi-  
mentis suffulti essent. Certè in tanto homi-  
num numero, quin longè plures hujus horoscopi  
calamitate premerentur, causæ nihil video. Et ve-  
rò complures reperiuntur cæci, quos hoc pestilens, si  
diis

diis placet, fidus nequaquam afflavit. Igitur malè,  
*νεφέλιον* hoc nascentium visui inimicum esse judica-  
runt: statim à *particulari*, quod tamen per accidens, ut  
loquuntur vulgo, ad *universale colligentes*. Quod  
quàm *ἀπαιδεύτων* sit, ab (n) Aristotele docemur: qui  
& alicubi veteres, *περὶ ὀλίγα ὑπεβλέψαντες*, meritò  
(o) reprehendit. Rectiùs verò sapientiores medici  
alias, & manifestas, & sufficientes cæcitatibus causas alle-  
gant, pravam oculorum dispositionem, nervorum,  
venarum, arteriarumque, nobilissimo sensui inservi-  
entium, læsionem, malignos humores, splendida rei,  
astrorum, ignis, nivis nimiam & diuturnam contem-  
plationem, continuam lectionem, senium, aliaque.

n) l. 1. *Meta-*  
*taph. c. 1. p.*  
*m. 260.*

o) l. 1. de *Ge-*  
*ner. & Cor-*

*rupt. c. 2.*

*med. p. m.*

701.

Verùm hæc de claris eruditione cæcis sufficient.  
Quæ si tibi, Benevole Lector, probabuntur, mihi de  
assensu gratulabor: sin minus, indigna habituro, quæ  
applausum mereantur, meliora discere non gra-  
vabor. Quod si solo dissensu tibi placebis, & quæ in  
hoc pulvere ac umbra nascuntur, prominulo naso tuo  
sordebunt, me, scias, hanc injuriam concoquere tam  
facilè posse, quàm vulpes pyrum est. Nec enim ego,  
uti placeam tibi, nec alius, ut ait Bion, placenta  
fiat, aut vinum Thasium.

F I N I S.

QK Th 7012

1017

1017





Q. 5-21, 19.

DISS

CÆCIS  
ACERUD  
MIRISQV  
RUM

M. GEOR  
Ohrdruf. T



LITTERIS C  
Sump

E. 11. 457



TIA  
ARIS,  
QVO.

SIO,  
-Ge-



Kodak  
LICENSED PRODUCT  
Black

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

White 3/Color  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

Inches  
Centimetres

